

In animos uero nostros diuinitatis quadantenus participes, ipsasque adeo uoluntates consiliaque nostra, nihil iuris, nihil potestatis, uel meteoris, uel coelo ipsi à natura, uel naturæ ipsius opifice Deo tributum fuisse: hominem autem, qui futura certo ac uere prænunciet, nisi instinctu inflatuque diuino mirabiliter id fiat, non dubium esse, ut ante dictum est, reperiri prorsus neminem. Restat, ut pauca adhuc quædam de Regum ac principum interitu, quibus parum equi præ ceteris, isti κομνητομύτης sunt, repetamus. Quæso cur Reges magis eripiat cometa, quam de plebe quemuis? an siderum coelique uis atque aeris temperamentum ad Regum magis, quam tenuiorum hominum corpora pertinet? an ex alijs Regum, ex alijs item reliquorum hominum corpora, diuersisque elementis coaluerunt? an aliter concipiuntur, aliter in lucem exeunt? an alium ipsi aerem hauriunt? alius eis nimirum lucet Sol, alia sidera? Si uera sint hæc, quæ de erinitis fabulantur, næ miserrimi sunt Reges. quid Reges dico? ne homines quidem, sed trunci erunt aut caudices. quippe in eorum non corpora solum, uerum etiam in ipsos quoque animos, merum cometa imperium exercet, atque adeo uitæ necisque potestatem habet. At maior, inquis, horum cura coelum tangit. Sacrarum quoque literarum monumentis proditum est, cor Regis in manu Dei esse. Vere. sed quid hoc ad rem, qua de agimus? quid hinc efficiunt? nihilo plus sane, quam si ego item, quod alibi scriptum quoque est, reponam: solem æque bonis ac malis illucescere Dei uoluntate. Verum utrumque ridiculum sit hoc loco. Quod si libros adeas, ex quibus hæc detorquentur: si antecedentia, si consequentia, si totam deinceps orationis οἰκονομίαν consideres, statim intelligas id, quod dixi, nihil illa ad hunc locum pertinere. At enim delicatiores sunt Reges, & uictus ratione utuntur ea, quæ idonea sit ad recipiendum cometarum effectiones, contra autem promiscua multitudo robustior est & crassis plerumque cibis sese ingurgitat. Ludere diceres,